

[γ] Galatarum status ante defectionem à veritate Evangelicâ fuit felicissimus, quod probat seq. argum.

Galatae, ante defectionem à veritate Evangelicâ, tentationem Pauli non spreverunt; sed ut Angelum, ut Christum J. exceperunt.

E. Galatarum status ante defectionem fuit felicissimus.

Antec: (1) prop. v. 14. (2) probatur. Nam Galatæ conversi in corde suo convicti erant, quòd Paulus esset servus Domini nostri Jesu Christi, qui Evangelium suum acceperit non ab hominibus; sed per revelationem Christi, ut pro illo legatione fungeretur. 2. Cor. V. 20.

Conseq. [1] proponit v. 15. figuratè per interrogationem: τίς ἐν ἡμῖν ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν. Ubi interrogatio Apostoli habet vim admirationis piæ de pristino, & felicissimo statu Galatarum, ob veritatem, ex Evangelio de Justificatione, & æternâ salute rectè agnitam; & simul indicatur, quòd vera, & Christiana felicitas consistat non in novarum opinionum inventione; sed in veritatis Evangelicæ sincerâ agnitione; & commendatur doctrina Pauli ab effectu, quia fecit credentes beatos.

[2.] *Probat* suo testimonio ex effectu Galatarum. Nam testimonium reddo vobis, inquit, quòd, si fieri potuisset, oculos vestros effossos dedissetis mihi, quod propon. v, 15. μαρτυρῶ γὰρ ὑμῖν ὅτι ἐὰν δύνατον, τὰς ὀφθαλμοὺς ὑμῶν ἐξορύξαις αὐτὸς ἐδώκατέ μοι. Ubi Apost: per Synecdochen Speciei pro genere, valde exaggerat beneficia, sibi à Galatis exhibita, atque illorum benevolentiam pristinam, & æmulationem in bonum, quâ ob salutarem Evangelii doctrinam, incredibili gaudio Paulum exceperunt, quando initio præsens ipsis prædicavit Evangelium. Oculos eruere, & alii dare, hoc loco significat quævis dura, vel acerba velle perpeti, propter agnitionem veritatis Evangelicæ, & cum præsentissimo damno, & periculo servire velle Paulo, necessitate id urgente.

Postquam Apostolus demonstravit, quales Galatæ erga ipsum

C

fuerin